

Johann Festing

Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Festingius ... ad exequias, quas ... puellulae, filiulae ... Sophiae Elisabethae hodie parat moestissimus parens Vir ... Dn. Albertus Willebrandus I.U. Doct. & Professor ... frequenter eundas, Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos ... invitat : [P. P. Sub Sigillo Rectoratus, A. Dom. MDCXXXIX. d. VII. Aug.]

Rostochii: Weplingius, [1689]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777133350>

Druck Freier  Zugang



1689

RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
JOHANNES FE-
STINGIUS

J.U.Doct.& Profess.Pandect.Publ.Serenissi-
mi Ducis Sverino - Megapolensis Consiliarius &
Ducalis Consistorii Adseffor

ad exequias, quas

Scitissima puellula, filiola sua desideratissima

SOPHIÆ ELISA-
BETHÆ

hodiè parat moestissimus parens

Vir Nobiliss. Ampliss. Consultiss. atq; Excellentissimus

DN. ALBERTUS
WILLEBRANDUS



J.U.Doct. & Professor Institutionum Publ.

famigeratissimus

frequenter eundas,

Omnium Ordinum Cives Academicos

studiosè humaniterq; invitat.

Rostochii, Typis JOHANN. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

10.

LB FP Willebrand, Sophia 1689



Ristis rerum facies est, ubi facilis jactura liberorum; dum imminetia faciunt pericula, ut exemptos esse gaudeamus potius, quam lugeamus esse coniectos desideratissimos. Equidem habent hæc nostra vitæ humanæ tempora communem fortunarum inconstantiam & acerbitates oculos facile fatigant nostros. Sed spes tamen hominum animis inest, quæ bonitatem divinorum beneficiorum meditari jubet, ubi in iis lætari grata suadet memoria, illis que suâ cum progenie frui, dum sperat, precibus, votis, indefessisq; allaborat studiis. Hinc gravissimè premunt malorum pondera dum premunt, nec sine magnis suspiriis ingentibusq; lacrymarum nimbis mergitur peritq; bonæ spei anchora. Eheu! quam durum est, pro solatio habere amissorum liberorum funera, quorum vita parentum immortalitas, vox solatium est, & aspectus omnis gaudium plenissimum! Malum mali remedium in ipso malo videri poterat, acerbissimumque illud, dum in improsperis per amara quæritur quod fugiendum est. Sanè non aliud quidquam magis naturale dixerimus quam procreare liberos ac studere propagationi sui generis. Hoc desiderio natura ipsa cuncta implevit animalium genera: inq; homine, multis istud non immeritò augetur rationibus. Enimverò quidnam hoc est, quod soli destinatur vitæ? Nimis certè est exiguum, cum brevitatis vile rei pretium satis arguat. Id demum alicujus momenti videtur quod ipsam quoq; mortem superat. Scilicet post funera virefcere virtutis cupit gloria; quæ ratione optimi uniuscujusq; studium, ne cum vitâ pereat memoria, quousq; alios per gloriam cernit vivere. Hic verò quid juvat laudationum funebrium habita apud veteres sancta semper religio; quid profunt tot virtutis monumenta? Hæc vivis promississe vel dedisse necessitatis sæpe causâ fit, nisi velis abarcere alios: illas mortuis non denegasse lau-

laudes, pietatis est officium. Verum si respicimus ad ætatem monumentorum, hæc tanta est, quantum invidia statuit; & siquidem perpendimus encomia, sonitu periisse hæc censentur, ubi tot virorum celeberrimorum memoriam tam exiguo temporis spatio tam composito silentio obliteratam imò deletam prorsus meminimus. Parvus hodie eorum numerus est, qui virtutem magnificiunt virtutis amore; sed dum carere timent, amant: nec minus, dum prodesse desinit, negligunt. Adeo perquam verum est quod dicitur, *ipso cum funere efferi hominum meritorumq; memoriam*. At lætior ac felicior memoria est, quam in liberis propagatam novimus, quam tuetur filiorum auctoritas, & nepotum firmat probitas, augetq; spendor familiæ. Quid hinc non referam lætum, quid non votis omnibus expetendum bonum liberorum gloriam, dum nati vicerunt patrem? de quâ optabili gratâq; parentibus victoriâ *Barth. ad Claud. in consul. Olybr. vers. 61*. Imò sancta quævis meditatio sollicitam docet liberorum curam & amorem eorum qui procreati sunt, cum majori numero, uno ex sanguine celebrare bonitatem Dei, cœlestis gaudii magna portio sit. ô tristem igitur, ô acerbam humanæ fortis conditionem, ubi amittuntur carissima pignora, ubi invitâ naturâ, inverso mortalitatis ordine spem suam mox sepeliunt parentes! Gravissimum videri vulnus poterat in ipsis felicitatum augmentis efferre liberos, ubi promovendis eorundem commodis perq; eos procurandis gaudiis, benedicente Deo, tam prosperè prospectum est. Fateor; minori solent aliquando mœstitiâ *infantum lugere mortem* homines, quàm adultorū obitum, quorum in virtutibus splendor illucescit & parentum complet gaudia. Sed nescio annon pari luctu digna res sit, ubi gelidâ morte blandissimæ ac innocentissimæ ætatis sternitur filiola, cujus modò in deliciis mater lectissima

*Expleri mentem nequit, ardescitq; tuendo;
Cum illa complexu patris colloq; pependit
Et magnum læti implevit genitoris amorem.*

Si

Si liberorum laudes numerare licet; heu! propius ad solatium accessurus est parentū animus, qui à spe & votis prorsus haud dejecti in partibus horum facti compotesunt. In quo etenim videtur causa ingemiscendi major, dum pleno flore ac præconio adempti sunt, id ipsum consolandi non videtur minus argumentum, quia non sine meritis ac laudibus extincti sunt. Atqui infantum obitus non minus miserabilis videtur, quàm siquidem ager floriger ante messem exarescit & spem cultoris in primâ extinguit herbâ. Spes hîc eò facilior est, quò magis parentes liberorum fortunas, laudes, & salutē expetunt, suasq; curas precesq; ad Deum pias ardentissimè impendunt. Equidem quænam non vis est bonæ cultæq; educationis? *educatio enim quod dicitur ap. Euripid. cum disciplina multum confert ad virtutem.* & quemadmodum Plato sentit: *Respublica*, & familia quoq; *si semel cœperit bene, progreditur tanquam circulus semper augetur.* quippe *educatio eruditioq; bona servata, ingenia quoq; bona efficit.* Dum hæc meditamur, consideremus Cives Universitatis honoratissimi lectissimiq; consideremus, inquam, luctum mœstissimi Viri Nobiliss. Ampliss. Consultiss. atq; Excell. Dn. D. ALBERTI WILLEBRANDI, Antecessoris hujus Almæ nostræ meritissimi; consideremus lacrymas dulcissimæ ipsius Conjugis, Nobilissimæ omniq; virtutum nitore fulgidissimæ feminæ CATHARINÆ CHRISTINÆ FISCHERS, & ex amissis tot ac tantis votis Avorum suspiria. Cum laude ejus, qui bonorum omnium largitor benignissimus est, extollimus non immeritò florentissimæ familiæ fortunas, quarum heredem tantæ spei filiolum ex sinu parentum nunc flebiliter ereptam immaturâq; extinctam morte conspiciamus. Et sanè quos non ex arbore generosa fructus optimos nobis expectamus: quos non ex progenie nobilissima lectissimos nobis virtutum cumulos promittimus? Nata fuit scitissima puellula SOPHIA ELISABETHA WILLEBRANDINA An. Dom. M DC LXXXV. d. xxx. Nov. circa med. horæ ix. vespert. quam filiolum sic
ut

ut magnis gaudiis exceptam Deo verisq; beatitudinis ministeriis & salutis prorsus divina consecratam magna voluerunt sollicitudine parentes Optimi; ita Vir Consultissimus Collega noster honoratissimus, Parens filiolæ lætissimus DN. ALBERTUS WILLEBRANDUS, Optimiq; Conjugis Coniux Optima CATHARINA CHRISTINA Fischers / præcipuam tunc inter primas curas, insignemq; conceperant lætitiâ, ubi mox abluta sacris baptismi undis diei. Dec. filiola Arbori vitæ CHRISTO insita est. Certè qvalis spes optima nunc surrepta sit facile animadvertimus, qui domum prudentiâ, pietate, ac humanitate insignem novimus: Ipsosq; eam parentes solo amore virtutum ac filiolæ, conceptaq; educandi solitudine, & divinæ gratiæ fiducia sibi constituisse (cum modestia eorundē in propria non inquirat merita) neminem latuit. Et quid non dicendum est, ubi Nobili inuagit sapientia reparationem perpetuam amissæ generositatis quoties indignum quid titulo avito commisit, aut non excoluit acceptas laudes? *vid. Barth. ad Claud. in Consul. Probin. & Olybr. vers. 16.* Sed hæc modò elegantissima puellula Sophia Elisabetha nunc desideratissima tali genere orta erat, de quo non incommodè sicut de genere Anthemio Claudianus:

Quemcumq; requires

Hac de stirpe virum, certum est de Consule nasci.

Per fasces numerantur avi.

Avum Paternum habuit Virum Nobiliss. Ampliss. atq; Consult. Dn. ALBERTUM WILLEBRANDUM J. U. D. Prof. Codicis in hac Univerf. Celebratiss. Consistoriiq; Ducalis Assess. graviss. Aviam Paternam Matronam laudare poterat sex, sui virtutib; decoratissimâ ELISABETHAM COTHMANNIAM Magnif. Nobiliss. & Ampliss. Viri Dn. JOHANNIS COTHMANNI, J. C. r. Sacri Lateranensis Palatii Aulæque Cæsareæ & Imperialis Consistorii Comit. Sereniss. Principū Mecklenburg. Consiliarii intimi & Cancellarii ultra triginta sex annos eminentissimi, ut & MAGDALENÆ CRUGERS,

) 3

GERS, Nobilissimi *Dn. UDALRICI CRUGERS*, Consulis
Gustrov. meritissimi prolis, filiam. Avus Maternus ipsi fuit
Vir Magnificâ autoritate conspicuus, Nobiliss. & Ampliss.
Dn. DANIEL FISCHER, Jctus & Consul hujus urbis
præclarissimè meritis adhuc per Dei gratiam in vivis, fau-
tor & Amicus noster honoratissimus. Avia Materna *ELI-
SABETHA SOPHIA à Bockeln* / Matrona Sexus sui vir-
tutibus maximè conspicua, Viri Magnif. Nobiliss. & Am-
pliss. *Dn. MARTINI à Bockeln* / Potentiss. Svec. Reg. in Duc.
Brem. & Principatu Verdeni, ut & plurium dein Germaniæ
Principum Consil. intimi & Cancell. Eminent. Filia, nec non
Nob. Ampl. atq; Excell. *Dn. D. OTTONIS Zantzen* / Synd.
Lub. ac Præpos. Capituli quòd ibidem est Cathedr. ex ipsi-
us filia virtutū splendore fulgidiss. | *JUDITH CHRISTINA
Zantzen* neptis laudatissima, decus suæ familiæ ingens, libe-
risq; exemplum virtutis, & dum per Dei gratiam adhuc flo-
rentissimè superstes est, solatium. Pro Avus Paternus exstitit
Vir Consultissimus Ampliss. *Dn. NICOLAUS WILLE-
BRANDUS V. J. D.* & Professor hujus Almæ celeberrimus:
Pro avia Paterna, Matrona honoratissima *CATHARINA
Heinß* / Magnifici & Amplissimi Viri *Dn. FRIDERICI Heinß* /
Jcti, Sereniss. Princip. Mecklenb. Consiliarii, Academiae hu-
jus Professoris, & tandem Consulis ac Syndici apud nos præ-
clarissimè meriti Filia. Pro Avus Maternus fuit Vir antiquæ
fidei *Dn. DANIEL Fischer* / Civis ac Mercator apud Lube-
censes celeberrim; Pro Avia Materna Matrona pia & proba
CATHARINA Westhoffen / *GREGORII WESTHOFII*,
itidem Mercatoris ac Civis Lubecensis spectatissimi Filia.
Tanta est fortuna florentissimæ familiæ, virtutum gloriæq;
sibi exemplar non aliunde oportere sed ex sua domo posse
petere. At verò non ampliùs, quid sperandū fuerit, hîc dicen-
dum erit, ubi mortis acerbitas subtraxit optimis parenti-
bus filiolum & adstantiū turbavit animos discessus animu-
læ beatissimæ. Hâc de re & quo morbi genere defatiga-
tum

tum & extinctum sit corpusculum audiendus erit Experimentiff. & Excellentiff. Dn. Bernh. Barnstorffius Medic. D. & P. P. fautor & Collega noster honoratiffimus. Ita a. ille: *Difficiles admodum & anhelosas Respirationes, quas suavissima & melitiffima Virguncula SOPHIA ELISABETHA, Nobiliffimi & Confulr. DN. ALBERTI WILLEBRANDI, J. U. D. & Prof Publ. Celeber. Collega, Amici & Affinis nostri honoratiffimi, unica Filiola, ab inenunte etate sustinuit, vitiosa partium pectus constituentium effecit Conformatio; Quae etiam in causa fuit, ut humores, in tenello hocce corpusculo, ob nimiam pectoris angustiam, hinc denegatam sufficientem in Expirationem, non satis ventilati, & ab inutilibus excrementiisq; partibus liberati, indies & viscidiores & simul quoq; acriores fuerunt redditi. Quare iidem postmodum Cachoxiam in sanguine scorbuticam & contabescencias partium produxerunt, febres excitarunt, ipsam nutritionem corporis vitiarunt, & ad varios, praecipue vero pectoris, morbos ansam dederunt, quos etiam magno licet numero experiri coacta fuerit, per Dei tamen benedictionem & medicamentorum efficaciam saepe saepius superavit; usq; dum aliquot ante septimanas denud in periculosissimum, omniaq; remedia & praesidia respuentem pectoris inciderit affectum, cui, etate nimis immatura, succumbere tandem debuit. Tussis enim vehementiffima & fero convulsiva, adeo tenellum corpusculum concutiebat, tantoq; cum impetu adoriebatur, ut jam jam suffocari & animam agere videretur; respiratio enim ad tempus satis longum, cum arteriarum pulsu, plenario cessabat, facies apparebat livida & cadaverosa, totumq; corpusculum resolutum quasi & flaccidum jacebat; Cui postmodum sese sociabant febres continua, summa praecordiorum anxietates, vomitus materiae pituitoso-acida, nonnunquam vero irritus saltem & vanus vomendiconatus, profluvium sanguinis ex naribus, contorsiones oculorum, faucium constrictiones, palpitationes & tremores membrorum, motusq; convulsivi plerorumq;, imprimis, vero faciei & collo, musculorum. Quae symptomatum crudelitate Beatiffima Nostra adeo excruciebatur, & enervabatur, ut fracta jam & spoliata omnibus viribus, die 2. Augusti circa horam 6. pomeridianam, placidissime, inter adstantium mastiffimorumq; Parentum preces & lacrymas, vitalem emisit spiritum. Hic videre mihi videor subortas in parentum oculis lacrymas, audio propè suspiria, & cognoscere puto dolores acerbiffimos. Imò plurib; dolerem verbis hanc ego Amicorū maestitiā, nisi cū temporis angustia & valetudine corruptā ipsa*

ipfa nre moveret, qvò finire, melior consolandi causa & ultimi officii præstandi ratio. Sic est; acerbissima non immeritò dicitur liberorù jactura. Sed rectius agitur cum his facilioraq; applicantur his solatia, quibuscum ex concessis agitur & vera sanctis ex principiis applicantur remedia. De immortalitate quidem animarù sollicitè disputarunt Ethnici Philosophi & paullatim meliora docti sapere didicerunt lumine quodam ducti. Horum a. tenebras quantumtopere tollit, lucemq; addit, & mentes instruit sancta Dei veritas! Quæ anima propter corporis imbecillitatem plenissimè in homine haud operatur, quæ ex ipsis sanguinis motibus agitur & peccat: hanc solvi vinculis, hanc ante vanitatum experientiam cœlestiù impleri gaudiorum magnitudine, excipi citissimè hospitio, nec relinquerrorum periculis, quis infortunium dixerit, quis negaverit excellentem gratiam, prævenientem clementiam? Gloria mundi omnis immunda est, & inaniter quæritur quod non referendum ad Dei gloriam. Sit diuturnior licet parentum memoria per liberorum gloriam; non tamen expetenda contra Dei voluntatem vita quæ longæva longis facile involvitur peccatis, ubi ipsis in cogitationibus diu abstrahitur homo à contemplatione Dei; eheu! duris, in quâ, implicatur damnationis initiis. Quantum crescat nominis divini celebrandi vigor ex fœcundiori nostri sanguinis propagine, fateor, hujus mundi piæ meditatio piumq; inde votum est. Sed quantumcunq; nos ejus rei desiderium nunc incendat; non permittet tamen cœlestis gloriæ suavissimus sensus, qui receptis isthic civibus obveniet, ut orbitatis recordatio cujusquam immi- nuat gaudia, ubertate bonitatis divinæ mentem se intuentium sic perfundente, ut nullo alterius rei desiderio possint trahi. Interim facile concedimus inter ipsam medicinam sanguinem sanguine trahi & ex uno alterum doloris capere principium. Hoc vero intuitu cum in humanis istiusmodi doloribus humanissimum remedium sit, ingemuisse plurimos beneq; cupiisse iis qui passi sunt: Proinde abs Vobis, Cives Academiæ honoratissimi lectissimiq; ut honorificæ deductione funeris, splendidissimæ familiæ apud nos merita testari, dolores humaniter lenire, vota q; pro superstitum salute conferre frequentissimè velitis, eo, quo par est, studio impense contendimus. P. P. Sub Sigillo Rectoratus,
A. Dom. MDCLXXXIX. d. VII. Aug.
Conventus fiet in Æde Jacobæâ horâ Ima pomerid.

ut magnis gaudiis exceptam Deo verisq; b
 nisteriis & saluti prorsus divina consecrata
 luerunt sollicitudine parentes Optimi; ita
 mus Collega noster honoratissimus, Parens
 mus DN. ALBERTUS WILLEBRAND
 Conjugis Coniux Optima CATHARINA
 Fischers/ præcipuam tunc inter primas cur
 conceperant lætitiã, ubi mox abluta sacri
 dis diei. Dec. filiola Arbori vitæ CHRISTO
 tẽ qualis spes optima nunc surrepta sit facil
 mus, qvi domum prudentiã, pietate, ac hu
 gnem novimus: Ipsosq; eam parentes solo an
 ac filiolæ, conceptaq; educandi sollicitudine, &
 fiducia sibi constituisse (cum modestia eoru
 non inquirat merita) neminem latuit. Et o
 dum est, ubi Nobili inuagit sapiencia repa
 petuam amissæ generositatis quoties indign
 avito commisit, aut non excoluit accepta
 Barth. ad Claud. in Consul. Probin. & Olybr.
 hæc modò elegantissima puellula Sophia E
 desideratissima tali genere orta erat, de quo
 dẽ sicut de genere Anthemio Claudianus:

Quemcumq; requirit

*Hac de stirpe virum, certum est de Consule na
 Per fasces numerantur avi.*

Avum Paternum habuit Virum Nobiliss. Am
 sult. Dn. ALBERTUM WILLEBRANDUM
 Codicis in hac Univerf. Celebratiss. Confiss
 Assess. graviss. Aviam Paternam Matronam l
 sex, sui virtutib; decoratissimã ELISABET
 MANNIAM Magnif. Nobiliss. & Ampliss. V
 NIS COTHMANNI, J. Cri. Sacri Lateranensis P
 Cæsareæ & Imperialis Consistorii Comitiss, Se
 Mecklenburg. Consiliarii intimi & Cancell
 ta sex annos eminentissimi, ut & MAGDA

)3



ni.
 o.
 fi.
 fi.
 q;
 A
 q;
 in.
 er.
 ti.
 fi.
 m
 iæ
 ria
 en.
 er.
 lo
 id.
 ed
 nc
 io.
 on.
 of.
 lis
 rat
 H.
 N.
 ue
 pū
 in.
 U.
 RS,